

Flh. 12.



L E G E S
 P R O M V L G A T A E
 A V T O R I T A T E A M P L I S S .
 S E N A T V S B R E M E N S I S C V M
 M V N V S R E C T O R I S S C O L A E
 C O M M E N D A R E T V R V I R O
 C L A R I S S . E T
 D O C T I S S .

M. JOACHIMO MEISTERO.



B R E M A E

Excudebat Theodorus Gluichstein.

A N N O C D O I D L X X X V .

DEI GRATIA
LIEGEND
P R O M V E L G A T A E
A V T O R I T A T E A M P L I S S I M A
S E N A T V S B R E M E N S I S C U M
M A G I S T R O R U M S C O L I E
G E N E R A L I U M V I R O
C L A R I S S I M O
D O C T O R I

M. JOACHIMO M. S. FERRO



Georgius Christophorus Gmelin

Anno 1788



IOACH: MEISTERVS
DE LEGIB: AD SCOLASTICOS
SCOLAE BREMENSIS.



*Entib. in sevit divina semina flā-
ma*

*Iova Deus, radiosq; sua sub pecto-
re lucis*

*Condidit: unde animis pravi dis-
crimen, & equi*

Et decoris pulchri, & vitij (mirabile) tetri.

Quod divine Ciliæ tua pagine numine sacro

Inspirata canens, signatum cælite dextra

Dixit opus, sculptumq; Iovæ sub corde figuris

Mortali: cum prima ferens de cespite terræ

Sustulit ora puer, gleba generatus opima,

Primigenæ, & generis primus mortalib. autor.

Noticias dixere Sophi, non credula turba,

Semina virtutum & vitij discrimine tanto.

Obscura Deus has tandem caligine pressas

Et penè extinctas sævi molimine Ditis

(Cui tantum licuit de nobis) voce sonora

Cælitus Abramidum voluit resonare per aures.

Cum Jovæ flammivoma de nube, in vertice Sina

Intonuit, tonitruq; animos & fulgure sævo

Terrificans, post horrifico sacra classica cantu,

Edidit horrendas superùm præcepta per auras.

Notitias hæc nobiscum sub limina vitæ

Nascentes firmant dictis, & fædere certo

Autorem pandunt Iovam, mortalia cui fas

Pectora, mortales genitos parere paratos,

Quin ne impune foret contra peccare furenti

Carnificem dedit, & stimulos sub pectore vertit.

Notitiæ
nobiscū
nascētes.

Opus
scriptum
in cordi-
bus eorū.

προ-
ληψεισ.

Consci-
entia.

Nam

Nam quoties furor indomitus, quotiesve libido
Dira super, turgensque immane cupidine seruo
In vitium rapuit, scædavit pectora culpa:
Continuo vis intus agit, vis arguit intus,
Et ratio incusans diros exsuscitat ignes
Corda coquens, populatque animos & pectora flamma
Vindice, nec requies, ultor dolor osib. haret.
Hic est qui Tityi jecur alto pectore tundit
Rimatque epulas, rostroque immanis obunco
Nascentes lacerat fibras & viscera vultur.
Hæc est dira lues, morsu præcordia rodens
Conscia crudelis facti, tum corda fatigans
Eumenidum facibusque atq; anguibus insultando.
Hæc ultrix est Tisiphone succincta flagellis
Et quatiens, donec in aperta pericula missos
Aut flamma, aut gladio, aut celsi de vertice montis
Aut laqueo, a ut unda perdat, dirove veneno.
Legibus idcirco quisquis parère recusat
Luctaturq; amens, nec frena, nec audit habenas:
Naturam contra rapitur contraq; Tonantem,
Atque expressa. Iovæ digitis in marmore scita.
Heu fuge crudeles ausus, quocunque magistro,
Pone animos, pone attonitum de pectore crimen,
Excute conceptos non sanis sensibus æstus
Haud ullum parère nefas, parère magistris
Iova volens genitor quos in statione locavit
Iura dare aut populis voluit, legesque vocatis
Antiqua & cives sub relligione tueri.
Sic non ulla animum morsu cruciabit Erinnyis,
Dente premens non anguis edet de crine medullas:
Conscia nec Tityi laniabit viscera rostrum.

Nemesis.



LEGES

SCOLAE BREMENSIS.



*V*m certum sit, & mōstro-
sas esse, & distortas natu-
ras, quæ nullis omnino legi-
bus vivere volunt: sed tã-
tũ suo ruere cum impetu,
tũm iudicio cæco: in junio-
ribus etiã nec morum levitas, nec cõtumax vi-
ta: quæ nullis deinde neq; vitæ generibus, nequè
officijs in hac vita utilis est, ferenda sit: *Q*ui-
pe obedire oportet non propter metũ solum, sed
& propter conscientia: Et rectè quidẽ, & me-
rito in eam curã incubuimus, ut leges nostri ef-
sent gymnasij, quæ regerent futurum in hoc loco
cum docentũ, tum discentũ cœtũ: & eas in ho-
norarias, ac scolasticas distingui voluimus.

*E*t si enim supervacaneũ videtur de officio
præceptorum aliquid monere: cum ipsi docere,
quæ recta sunt, pueros, non discere ab alijs debe-
ant: tamen quoniam plurimũ interest, qualis
sit præceptor, vita, moribus, sermone, addo etiã
habitu:

habitu: Et natura sic comparatum est, ut pueri facile eos imitentur, quibus cum versantur: Et eorum similes esse velint, quos sibi magistros Et ductores prepositos esse sciunt: (maximè namque lubricum est, ad ea, quæ sunt in preceptoribus vitiosa prolabi: quod, ut ille ait, virtus sit difficilis: vitia sine magistro discantur) Non ferent ægrè preceptores inferiorum classium: præscribi sibi à gubernatoribus, Et scolarchis autoritate Senatus amplissimi leges quasdam. Quorum tamen si quis impatiens est: Et suo potius arbitrio vivere, Et animo morè gerere: quàm honestis legibus Et gubernari, Et liberum esse, præclarum putat: eum ut aliter sibi consulat monemus. Hoc enim antiquius nobis erit, quàm ut vel omitte-do, negligendoque pleraque: vel secus faciendo: aut publice suo exemplo noceat: aut Senatui negotium facessat.

LEGES HONORARIÆ.

I.

Primum igitur omnium cura sit preceptoribus, ut religiosè, honestè, graviter Et sobriè vivendo, opinionem, Et laudem præclaræ pietatis, probitatis, Et modestiæ habeant: sitque vita eorum exemplum, Et magistra disciplina publica.

In

II.

IN templo diebus dominicis ad conciones sacras, quibus injunctū fuerit, adsint omnes: atque suo quisque loco consistant: aut ceterū obeūdo disciplina curā agant. Alias vel inambulando vel etiā sermones inter se cedendo, ne pueris exemplo ad garriendū, nugandumue sint: aut, quod in ijs plectunt, committant ipsi.

III.

IN scola suo quisque loco mandata accipiāt: Et ijs modestè, Et citra recusationē obtemperēt. Ferocia oblatrandi, iurgandi, conviciandi, ut aliena à studiosis humanitatis: temeritate carpenti, obtrectandi, iudicandi apud applausores suos ne utantur. Ipsi ab operis sine permissu ne absint unquam.

IIII.

Operas quisque suas cum fideliter obeat: tum verò exsequatur. Ad horā in articulo suo loco appareant: nec ante horā scolam dimittant.

V.

IN castigando morem hunc seruent. Quoniā tot ea de re querelas delatas esse, Et quid Senatus in hac re prius constituerit, sciūt: ipsi neminem cedant, pœnam ad Rectoris, Et Prore-

toris

etoris aduentum differant: eis jus castigandi
deferat: qui ipsis aut jus virga permittat: aut
ipsi eo utantur. Idq; ideo quidem, ut ne per ira-
cundiã quisq; aut iuuenili etiã impetu, modũ
excedat: & civibus criminãdi occasionem præ-
beat: quod nimis, quã sãpe fieri meminimus.
Est autẽ aqua vox illa Comici: pro magno de-
lictõ parũ supplicij satis esse patri. Inprimis si
natura pueri sit moderata, & sanabilis.

VI.

DE studijs, bono & honesto multus sit, & jo-
cundus sermo: ut hoc pueris tãquã acro-
ama, & condimentũ studiorũ severiorũ adhi-
beatur. Ipsiq; paulatim amore discẽdi, & rectẽ
faciendi imbuantur.

VII.

IN gestu, vultu, habitu corporis composito, &
cõueniente, gravitate conjuncta cum pari co-
mitate utantur: ac diligere, quã metui malint,
tametsi qui diligitur, is certẽ etiã metuitur: cum
sedulo detur opera, ne quid fiat à puero, quod æ-
grẽ sit præceptori, quem puer amat.

VIII.

Sãpẽ de vestitu cogitavimus. Sed cum hujus
urbis Senatores, & honesti prætereã cives, gra-
vi,
vi,

vi, honesto, & ad antiquitatis mores severiores
cōposito, lōgo, & propemodū talari ut ātur: putā-
vimus fore, ut hac in re praeceptores etiā ipsi si-
bi leges ferrent: quod quidem superiores facere
videmus: sed in nonnullis tamen, quod deside-
remus, habemus. Quare hortamur praeceptores
omnes, ut magis hac in parte sui rationem ha-
beāt, quā depravata cōsuetudinis: & potius
quid se deceat, quā quod vulgō fit, cogitent.
Neq; enim in aula aliqua: neq; adeo in castris
inter milites versantur: ut eo malint uti vesti-
tu, quā huius, in qua vivunt, Reipub. Nam
quid vastitas illa manicarū, semper distēt arū,
turgidarūq;? quid, inquā, aliud, quā animum
ad eundem modū, & vastum, & inexplebilē cu-
piditatibus? vestitus brevis, & tegendas etiam
partes nō tegēs, quid significat aliud, quā pro-
fligatū pudorem, & animum honestatis ac ve-
recundia minimē cupidū? Cetera quae dicere nō
libeat, quid? equidem gentium opprobriis no-
bilitatarum, vel nostra memoria: barbarico fa-
stu ineptissimarum: contemptu etiam in Deum
celebratarum, quid aliud, quā deliria, & no-
vitatis, & vanitatis cupiditatem? Utantur i-

B

gitur

gitur eo præceptores, quem & Senatus Amplif-
simus, & hac Respubl. in scola ac gymnasij fini-
bus ferre potest.

IX.

IN prælegendo hic sit ordo. Primum, ut fa-
cta attentione pensum ejus hora, quod modicum
esse debet, integrum pronuncietur: clare, distincte,
articulate, & quatum fieri potest, suaviter, &
modulate. Deinde, ut interpretatio germani-
ca accedat plana, & aperta: & non longe a ver-
bis recedens. Tum vero ut eadem secundo ite-
retur. Et subinde in singulis periodis, & mem-
bris, si quid annotatu dignum est, uno aut altero
verbulo moneatur. Sub finem hora, si quid tem-
poris est reliquum, unus puerorum particulam: alter,
& tertius item particulam illius interpretationis
bona fide reddat: & ij quidem ex diversis decu-
rijs. Altera die præceptor pensum prioris diei
resumat: hac repetitio est: qua si recto & bono
ordine instituat, caput est institutionis pue-
rilis. De qua tamen Rector monebit potius,
quam ut nos hoc in loco prolixiores simus.

X.

Vsum Latina lingua in scola plurimum esse
vellemus: sine quo doctrina puerilis consistere
nequit.

re nequit. Vt autē retineatur, præceptorū potissi-
ma sunt partes. Primum ut quotidie moneāt
pueros, magnū decus, & ornamentū esse, Latine
rectē, & emendatē loqui: idq; de ipsius Ciceronis
autoritate: qui, ipsum, inquit, latine loqui est in
magna laude ponendum. Deinde, ut ipsi præce-
ptores latino sermone utantur: & illo nō Grā-
matico quidē tantum: sed etiam quo ad fieri po-
test, maximē proprio, dilucido, eleganti, & emē-
dato: & ut uno verbo dicam, latino. Sic fiet,
ut imitatione eorum fortasse assuescāt pueri, &
imbibant amorem latini sermonis. Tertio ut
inter prælegendum pueris præformēt modos &
phrases loquendi: & ab ijs vicissim exigant: ad
quem usum profunt libelli elegantiarum, & Syn-
onymorum. Quarto, ut pueri detrectantes la-
tine loqui publice castigentur: aut ut culpā recita-
tione aliquot versuum luant, atq; ita damnum
lucro pensent: aut humi sedeant: aut, si sæpius
peccent, virga castigentur.

XI.

Ipsi inter se collega humanitatem, & ami-
citiā colāt: dissidia, distractiones, simultates
ne quarant, ne vē alant. Pauci, plures vē contra

B 2

alium,

alium, alios vè ne confususurrēt, colludantq̄. Quod
ut nos quidem invasisse in sculam nostram au-
dimus: ita minimè nostra id voluntate fieri o-
mnes scire volumus. Proinde, si quid est, quod
offendat, aut oblivione, ut polliciti sunt, obterāt,
Et in gratiā bona fide redeāt: aut disceptando,
dissidendoq̄, id agant, ut ne ἀσπονδον, quod dici-
tur, bellum aut disciplina noceat: aut in fœdum
exeat tumultum. Multò minùs crebris perpo-
tationibus per tabernas indulgētes, vel collega-
rum, vel aliorum famam ledant: obtrectandi
quasi ludo quodam delectentur.

XII.

Lectioes privatim proponi volumus nullas:
nec eas repetitionū prætectu defendi. Ad ju-
niorū studia satis esse putamus: ut lectioes pu-
blicæ ab ijs exigantur, Et repetantur. Accedit
eodem, quòd in lectioibus privatis aut inanis
plerumq̄ ostentatio est: quasi isti melius eas,
quàm qui id publicè faciunt, proponere queant:
aut lucrū aliquod spectatur: aut ipsi discentes
cùm à publicis abducuntur, tum multitudine
obruuntur.

Atq̄, hæ præceptoribus sunt leges. De reli-
quo

quo admonere necesse non est: cum nemo omnium, qui se docere profitentur, non intelligat, aut saltem intelligere debeat: omnibus nervis sibi contēdendū esse: ut pueri sua fidei crediti quā optimè, & fidelissimè tam in literis quā in moribus informētur. De qua re cum minimè dubitet Ampliss. Senatus: quod superest præceptoribus inferiorum classium mandat, uti adistarum præscriptum disciplina, & institutio instituantur: nec quicquam eorū, sine expresso Scolarcharū, & Rectoris consensu immutetur: aut per contemptum negligatur, quo minus ritè, & ordine, ut est statutum, servetur. Si quis aut temerè contra facere: aut parere hisce legibus recusaverit: is sibi aliter consulat, pro certo statuens sibi in hac scola locum esse non posse. Id Senatus omnes, & singulos scire voluit: ne quis in posterum ignorantia excusatione utatur. Ceterum & communes has addit Senatus leges: etiam ad discipulos pertinentes.

I.
NE quis legibus hisce, & præterea scolasticis repugnet, recalcitret vè: siquidem in hac urbe vivere, & locum habere velit. Nam pro-

B 3 sus

*sus Senatus Amplissimus injurias præceptorũ,
professorum & superiorum se non neglecturum
profitetur.*

II.

N*E quis pugiones, gladios, arma gestet: neq̃
ex præceptoribus, neq̃ ex discipulis. De
quibus in scolasticis etiã legibus mentionem fie-
ri jussimus. Qui id temerè, & contumaciter fe-
cerit: armis & privari, & multari volumus.
Neq̃ est, quòd quis ab alijs gestari caussetur:
Nam & defendendo est Senatus: & periculi
quod ex gestatione armorum à multitudine di-
scipulis creari posset, habenda est ratio.*

III.

N*Eu quis noctu, in primis sine lychno, & cum
clamoribus vagetur.*

IIII.

N*Eu quis in scola præceptorũ abjiciens jugũ:
aut metu pœna se inde proripiẽs, in urbe hac no-
stra sibi locum putet: aut in ea moretur.*

V.

N*Eu quis ordinẽ detrectet in scola: ne vè A-
cademiam jam tum sibi somniet: neu meram
libertatem fingat. Sed hæc leges hoc tempore
dixisse satis sit: plures dies, & tempus dabit.*

LE-

LEGES SCOLASTICAE

PRIMAE CLASSIS.

I.
P Rincipio quicūq; adolescentes vel ciues, vel peregrini scolam nostrā discendi gratia ingredi voluerint: Rectorem adeunto: veniam impetranto: nomen danto.

II.
R ecepti in scolam ac in discentium numerū transcripti: fidem & obadientiā legibus: reverentiam & cultum praeceptorib. professoribusq; praestanto. Licentiam alienā à studijs humanitatis ne usurpanto.

III.
L ectiones cum studiosè audiunt, perdiscunt: tum dictata etiam excipiunt: ociosi in scola, ceu spectatores in theatris ne sedēto. Diligentia sua alacritatem in docentib. excitanto. Strepitu, garritu, susurris neminem nec praelegentem, nec audientem turbāto. Discendi se quoq; gratia hic versari, in memoriā secū redeūto.

IIII.
D electum in lectionib. suo arbitratu ne agūto. Quod si quibus tamē, aliunde ad nos ingressis: aut etiam prius in Academijs versatis:
hanc

hanc vel illam sive parentum consilio, sive studiorum ratione, audire integrum non sit: veniam & vacationem à Rectore sibi impetranda sciunt. Ceteri aut cum privatis præceptoribus, aut cum suis consilio capto: Rectorem adveniunt, causam exponunt: nec nisi permissu ejus à lectionibus absunt. Sui judicij in hac etate, qua via & ordine in literarum studiis sit progrediendum: quid prius aut posterius sit cognoscendum, non esse statuere: sua memores infirmitatis omnino cogitant. Aliorum judicium, consilia ve imprimis præceptorum, & in studiis puerorum ac juniorum formandis versatorum, ne aspernant: neu barbarorum more repudianto.

^{v.}
Absentes notati multantur. Liberum interesse prælectionibus. (præsertim quas quisque ipse sibi audiendas suscepit) aut abesse, ne cui esto. Multa pro unaquaque lectione neglecta duorum gross. nostratum esto. Pecunia sic collecta in pauperes distribuitur.

^{vi.}
Exercitia stili ne detrectantur: optimū cum dicendi magistrum credunt. Quare proposita scribendi, declamandi ve materia: nō modò
in

in ea perscribēda omnes occupātor: sed & per-
scriptā exhibento: neq; tergiversantor: neq; hac
ratione aut ignaviam, aut inscitiam suam oc-
cultanto. Infirmiā suā, infantiamve præ-
ceptorem ne calanto: hoc potius, ut cognito malo
medicina reperiat, agūto. In declamādo ter-
giversantes gross. nostratib. novem: in aliis ex-
ercitiis cessantes, aut detrectātes tribus multā-
tor. Subterfugere hunc studiorū fructū nemini
fas esto. Temerè etiā solvētib. quippe lautiorib.:
& hanc pecunia jacturā nihili facientib., pœna
gravior indicitor. Nisi tamē in his quoq; certis
de causis aliquid alicui à Rectore remissum
fuerit.

VII.

Ipsū latinè loqui, teste Cic., in magna laude
ponēdū censento: Eundem cū Quint. fructum
studiorum maximū esse, judicāto. Quare facul-
tatem sibi & copiā latini sermonis, & quidem
puri atq; elegantis, omni conatu & studio com-
parāto. Id cum fieri nō possit sine crebro usu, le-
ctione, & exercitio: legūto, latinè semper & ubiq;
loquūtor. Qua in re (quod multis volupe est) dū
nō tam qui legib. & præceptorib. qui ista in hūc
modū præcipiunt, morem gerāt, cogitāt: sed quo-
modo

modo studio contra peccandi ferantur, operam dant: ne quid sui negligant commodi: neu in studiis literarum operam ludant, quod fatuorum est: neu in se grauius aliquid, quam in preceptores admittant, quod certè insanorum est, curam agunto.

VIII.

Ad disputationes tam qui non opponunt: quam qui non accedunt, multantor. Grauius tamen hi, quam illi: Nimirum illi duob. gr: hi quatuor.

IX.

Conciones sacras studiosè frequentanto. Et si enim grandiores, & prima Classis adolescentes, à preceptorib. in templum non ducendos esse putamus: tamen ipsi, precepti de Sabbato sanctificando memores, sui officii se admonento. Et congressus honestos conservados: & ministerio honorem habendum sciunto. Voces suas cum Ecclesia vocib. jungunto: seriò invocanto: Ecclesie & doctrinae hospitia, vitæ necessaria, pacem, tranquillitatem, gubernatores pios, Deo & veritati amicos, doctores veritatis studiosos, doctrinam cœlestem, artium & linguarum studia, ne à nobis auferat Deus, impetranto. Tam spiritualia, quam corporalia bona efflagi-
tanto

tanto: fidem exercento. Pestes omnes suis precibus fugato. Gratias item per Christum, omnium bonorum, caelestium & temporalium: imprimis Christi beneficiorum ergo agunto. In Ecclesia, Christi sanguine servata: non in Cyclopum barbara Rep. se vitam degere consideranto. Qui contra fecerint, in foro ve, plateis ve, suburbiis ve conspecti: ab iis qui speculatum emissi, deprehensi, accusati ve fuerint: aut domi lusserint, potarint, nugas egerint: sex gross. plectuntor. Interea aut in quodcumq; volet, se quisq; templum ad audiendum recipito: aut ubicumq; volet consistito: donec locus in Mariano certus omnib. designetur.

x.

E Brietatem hoc ornavit encomio Plinius, ut mortem esse memoria dixerit: idq; verum esse communis docet experientia. Ut igitur memoria studiosis necessaria: & omnis erudita doctrina thesaurus est: Ita ebrietas pestem esse pro se quisq; statuunt. Vitia & flagitia alia, quae sequuntur nimium vini usum, aut ingurgitandi sese consuetudinem: & ebrietas jam quasi habitum facta, alii exposuerunt: Et Christi praeceptum est, quod jubet crapulam vitare,

C 2

ac

ac ebrietatem: Et D. Paullus ebriosos inter eos nominat, qui regnum Dei non sunt possessuri. Quæ studiosi adolescentes in memoria habent: Et tabernas publicas, vinarias, cerevisiariasq; potandi gratia ne petunt: neu cui ad mensuram isthic propinanto: neu se supra vires, Et ad ebrietatem usq; (quæ brevis est Epilepsia) ingurgitanto. Prorsus ebrietatis vitium Deo juxta ac hominibus invisum, remis ac velis quod dicitur effugiunt. Pœna delinquenti novem gr. indicta esto.

XI.

Domicilia puellarumve, muliercularumve de pudicitia suspectarum ne ingrediuntor. Ingressi carcere puniuntor. Si ne sic quidem absistant, è scola finib. profligantor.

XII.

Qui cum gladiisve, pugionibusve, ullisve aliis armis, in templis, in scola, in publico conspecti fuerint, ullo tempore præterquam cum peregrè abeunt: armis privantor, Et quatuor gross. multantor. Arma precib. si possunt, à Rectore recuperantor.

XIII.

Nocturno tempore armative, inermesve,

CIVIS

cum belluorum tamē sodalitiisve gregibusve:
aut qui à studiis literarum sunt alieni: depre-
hensi aut carceri publico è vestigio includuntor:
aut pœna præceptorum, & carceri scolastico
sistuntor.

Atq; hæc leges, hoc tempore scolastica, primæ
classis sunt. Cætera classes de more scola coër-
centor. Contumacib., & præceptorib. temerè
reluctantibus responsantibusve: aut etiam con-
trà sese inferentibus, quemadmodum & alijs
flagitijs: etsi debebamus cum leges tulisse, tum
supplicia statuisse: tamen (memores illius sapi-
entissimi legumlatoris Solonis: qui interroga-
tus, quare in parricidas supplicium non consti-
tuisset: respondit, se id flagitiū neminem com-
missurum putasse:) nullam nos quoq; nunc qui-
dem, pœnam indicimus: quod non putemus nos
in tam barbaros, immanesq; incidisse: qui tale
aliquid ausuri: & quasi nascentis scola tran-
quillitatem turbaturi: & pro beneficio com-
municationis doctrinæ talem gratiam sint re-
posituri. Si qui tamen reperti fuerint qui ejus-
modi flagitijs, vel laudē sibi apud æquales qua-
rere, vel magni cujusdam animi, & generosa in-

dolis opinionem (qua nunc est istius aetatis stultitia) de se excitare voluerint: eos Senatui amplissimo plectendos, ut par est, trademus, è scola nostra publicè extorres factos: Et, si ita casus sit, suo tempore poenas infligemus ejusmodi, quibus cum à simili flagitio alii absterreantur: tum cognoscant omnes huic furori apud nos locum esse nullum. Humanitatis studiosis scola nostra, non barbaris Cyclopum ac Lestrygonum, Centaurorum ac Lapitharum more ruentibus, aperta esto.

CIC. DE OFFICIIS LIB. I.

Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliq̄ sunt juvenum, alia seniorum, aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis majores natu vereri, ex hisque eligere optimos, Et probatissimos: quorum consilio atq̄ autoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis inscitia, senum constituenda, Et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas à libidinibus arcenda est, exercendaq̄ in labore, patientiaq̄, Et animi, Et corporis

poris: ut eorum & in bellicis, & civilibus officiis
vigeat industria. Atq; etiam cum relaxare
animos, & dare se jucunditati volent, caveant
intemperantiã: meminerint verecundia: quod
erit facilius, si ejusmodi quoq; rebus majores
nata interesse velint. Senibus autem labores
corporis sunt minuendi: exercitationes animi
etiam augenda videntur. Danda verò opera,
ut & amicos, & juventutem, & maximè Rem-
pub. consilio & prudentia quàm plurimùm ad-
juvent. Nihil autem magis cavendum est se-
nectuti: quàm, ne languori se, desidiaq; dedat.
Luxuria verò cum omni etate turpis, tum sene-
ctuti scœdissima est. Sin autem libidinum eti-
am intemperantia accesserit, duplex malū est:
quòd & ipsa senectus concipit dedecus:
& facit adolescentium impuden-
tiores intemperan-
tiam.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Ga 4031

ULB Halle 3
003 564 959



TA → OC

42, 21, ↑

指 京

NE





4.

LEGES
 PROMV LGATAE
 AVTORITATE AMPLISS.
 SENATVS BREMENSIS CVM
 MVNVS RECTORIS SCOLAE,
 COMME NDARETVR VIRO
 CLARISS. ET
 DOCTISS.

M. JOACHIMO MEISTERO.



BREMAE

Excudebat Theodorus Gluichstein.

ANNO MD LXXXV.

